



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669

Pvinct. I. Quid sit promissio, pollicitatio, stipulatio, & donatio, & qualiter
differant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

bos. cap. 1. de integro restit. n. 18. & in cap. p. quilibet. de rebus Ecclesi. non alienan. l. 10. Felin. col. 1. Maranta. de ord. iudic. 6. par. vers. secundus actus. n. 101. Bernard Diaz de Lugo. reg. 2. 19. limitat. 2. Didac. Perez. in leg. 1. tit. 4. lib. 1. ordinam. vers. item fallit Gregor. Lopez. leg. fin. tit. 19. par. 7. Gloss. 1. Auendano. 1. p. rator. cap. 4. num. 12. Curiar. lib. 1. canon. 99. cap. 34. n. 10. Ducuntur ex Doctrina Innocentij. in cap. cum sit generale de foro compet. vbi inquit quod quando Ecclesia aliquo speciali beneficio uatur in aliqua causa possit in ea iudicem Ecclesiasticum adire. & indicat Textus. in cap. 1. de integ. restit. & apertius cap. penult. de rebus Ecclesi. non alienan. Nam quod Couarruu. dixit iudicem illum Ecclesiasticum esse simul iudicem laici ob iurisdictionem temporalem sine fundamento dictum videtur. cum ipse sibi obicit dici posse diuinat.

Quod non solum habet verum in bonis Ecclesi. pertinentibus ad fabricam, sed in bonis menae capitulari antequam singulis ad iudicentur, quia verè & sunt proprie bona Ecclesi. cum capitulum Ecclesi. chatedralis, Ecclesia in iure nuncupetur. e. apostolica. § 6. dist. cap. cum clerici de vobor. sign. he. & vtrouque Glossa. Vnde si in his bonis Ecclesi. laudatur, restitui potest per iudicium ordinarium ipsius Ecclesi. sicuti tradit late Reodoan. tract. de reb. Ecclesi. non alienan. q. de restit. in integ. § 7. Soria Oddus. de restit. in integ. 1. p. 47. 32. ar. 15. num. 123. & 124. Ioann. Guriar. dicto. lib. 1. canon. 99. capite 34. num. 10.

Non tamen extendenda est hæc doctrina ad ipsos clericos quoad bona ipsa sibi propria seu patrimonialia. Nam priuilegia concessa Ecclesi. cuiusque bonis non competunt clericorum bonis quatenus bona ipsorum sunt, nisi in casibus à iure expressis. Non enim decebat bona clericorum quæ pro ipsorum voto in quemcunque usum destinantur, & ad hæredes etiam extraneos transmittuntur eisdem priuilegijs gaudere quibus gaudent bona Ecclesi. in cultum Dei, ministrorum sustentationem, pauperum subsidium designata. Sicuti pluribus comprobat Couarruu. 1. var. cap. 4. n. 1. Menchaca de succ. creat. §. 10. n. 659. & §. 22. num. 42. Ioann. Guriar. lib. 1. canon. 99. cap. 34. n. 12. Molina. d. disp. 573. vers. ubi in est. Neque refert aliqua ex his bonis pro patrimonio ad ordines suscipiendos fuisse clericis assignata. iuxta cap. Episcopus de Præbendis. Nam ea assignatio solum præstat clerico facultatem, vt iuxta sacros canones, ordines suscipere possit, cum habeat vnde decenter sustentari, non tamen ea bona inter bona Ecclesiastica constituit, aut eis priuilegia bonorum Ecclesiasticorum communicat. Vt rectè alios referens aduertit. Couarruu. dict. lib. 1. variar. cap. 4. n. 4.

Ex delegatione autem inquit Gregor. Lopez. d. leg. 8. 6. tit. 19 par. 6. quem sequitur Mol. dicta disp. 573. vers. addit. iudex causa restitutionis in integrum erit delegatus à principe, seu à iudice ordinario, quia nullibi est prohibitum hanc causam delegari posse. Item delegatus ad vniuersitatem causarum. Quinimò delegatus ad vnam causam specialem, si in ea causa minor reperitur læsus, petere coram ipso restitutionem poterit, quia non petit directè sed incidenter. Iudices autem iurisdictionem habentes absque territorio. Vt sunt Rectores scholasticorum, & aliqui religionum iudices existimat Gregor. Lopez. cum Paulo. in leg. fin. Cod. vbi apud quem. non posse de causa restitutionis cognoscere. Sed vt rectè aduertit Molin. supra, dicta lex finalis non negat his potestatem cognoscendi de causa restitutionis, sed delegatis ab eis, & merito quia ipsi sunt quasi delegati. Deinde iudices pedanei quales sunt vicarij Episcopi aliquorum locorum particularium tribunal. non constituentes nequeunt de restitutione in integrum iudicare. Sicuti tradit Glossa. in dicta leg. fin. Cod. vbi apud quem. Et idem est de arbitris quibus non est data administratio, sed iurisdictione & non absoluta sed inter consentientes tantum qui de restitutione non cognoscunt vt in dicta leg. fin. habetur. Tamen si Glossa ibi, & Salicet post Barthol existimant eoriam eis compromitti posse iudicem, & beatè restitutio concedi. Quod Baldo non probatur.

§. IX.

An minor, & maior in eadem causa concurrentes, concessa restitutione minori censeatur maiori concessa

- 1. Affirmatiuè responderetur, si causa indiuidua sit, secus si diuidua
- 2. Qualiter cognoscenda sit causa diuidua, vel indiuidua?

Pender huius puncti intelligencia ex cognitione materie satis difficilis, & obscure diuidua, & indiuidua. Si enim causa circa quam est restitutio concedenda diuidua sit, omnes conueniunt restituro minore maiorem non restitui. Vt expressè habetur leg. vnica. Cod. si in communi. At si omni ex parte indiuisa causa sit cum diuidi nequeat, nequit minor restitui quin maior etiam restituatur. Vt colligitur ex leg. si in communi. ff. quemad. restituitur. amittant. leg. per fundum. ff. de seruitutib. rusticor. prædior.

leg. in vsu. ff. de vobor. sign. ficat. leg. rescriptum. ff. communi. prædior. leg. si autem plures. ff. de aqua pluuiar. arcenda. & reg. quæ omnes tangit. de reg. iur. lib. 6.

Vt autem cognoscas quando causa indiuidua sit, vel diuidua, attendere debes vnum illius, quem si minor independenter à maiore, vel è contra expeditum habeat, causa illius diuidua erit, & restitutio illi concessa, non censèbitur concessa maiori. Secus verò si nullus illorum absque alterius consensu usum habere potest exemplis res manifestatur. Si enim minor simul cum maiori habet seruitutem ducendi aquam, iter agendi, & c. per aliquod prædium, & hanc vterque seruitutem remittat facta postmodum restituitio minori non censetur maior restituitus quia causa erat diuidua poterat enim minor independenter à maiore iter facere, & aquam ducere per illud prædium: quot enim sunt persone quibus prædium illud seruitute potest tot seruitutes multiplicatur, vt de se est periculum. At si alicuius domus, castelli, prædij indiuisibilis minor, & maior dominum habeant, cum nullas illorum possit illud independenter ab alio vendere, alienare, aut seruitutem constituere, vel usum seruitutis ei annexa remittere, si gratis, vel pretio accepto vterque alienauerit, aut seruitutem constituerit, vel ei debitam remiserit, & ab hac alienatione, seu remissione minor restituitus, maior restituitus censetur, cum nequeat vnum sine alio consistere: & in hoc sensu loquitur lex loci corpus, & lex. ff. in communi. & alia n. præcedenti allata. Vide Ant. Gom. 1. cap. 10. n. 15. & cap. 14. num. 10. Mol. tract. 2. de inst. disp. 573. vers. quando.



DISPUTATIO II.

De promissione, & donatione liberali.

Vtque etiam est de his, quæ communia sunt cuilibet contractui. Nunc singulis contractibus initium damus. Sumimus exordium à promissione, & donatione liberali, vt potè cuius explicatio facilior est, & quam reliqui contractus aliquo modo supponunt.

PUNCTVM I.

Quid sit promissio, pollicitatio, stipulatio & donatio, & qualiter differant?

- 1. Quid sit promissio?
- 2. Libera debet esse.
- 3. Spontanea.
- 4. Dere licita.
- 5. Antè promissarij acceptionem est pollicitatio.
- 6. Quid sit stipulatio?
- 7. Quid donatio?
- 8. Qualiter inter se differant?

Promissio ex communi omnium, sententia est datio fidei libera & spontanea de re licita. Vt autem fidem alioi das, de bes, cū illo verbis vel signis loquis, & media locutione promissum manifestare. Vt dixi 3. præact. 28. de matr. puni. 2. n. 8. & præter Doctores ibi relatos docent Ant. Gomez. 2. de contractib. cap. 9. n. 1. Lessius. lib. 2. cap. 19. dub. 1. & 6. Rebell. 2. p. de obli. restit. lib. 1. 8. q. 1. Paul. Layman. lib. 3. sum. sect. 5. tract. 4. cap. 1. n. 3. ea vero manifestatio non est tantum de voluntate concepta promissum exequendi, sed de obligatione fidei, seu fidelitatis pro illius executione suscepta, alioquin non esset promissio, sed propositum. Vt aduertit Sotus. lib. 7. de iustit. q. 1. ar. 2. Mol. tract. 1. disp. 261. in princ. Lessius. d. cap. 18. dub. 1. n. 5. Rebell. d. q. 1. n. 3. & alij passim.

Intemper debet esse libera, quia absque libertate quæ ad precandam moraliter requisita est nequit promissio constare. Non enim censendus quis est legis obligationem sibi imponere, nisi pletè vt homo rationalis operetur. Sicuti tradit Nauarr. cap. 1. 8. n. 7. Lessius. d. dub. 1. n. 1. Rebell. q. 1. n. 4.

Addidi spontanea, vt excluderem omnem vim, metum, & coercionem iniustam etiam leuem, nam ea interueniente nulla est promissio cum nulla sit illius exequenda obligatio. Non enim coactione obligari potes ad præstandum quod itatum reperere potes, & accipiens reddere tenetur. At si promissum donec donatio valida est, si animus donandi habuisti, tamen actioe doli, & metus causa rescindi potest, quia non metus causa rescinditur.

scindi possit, quia non metus, sed debitum liberalitati opponitur. Vt bene aduertit Paul Layman. lib. 3. sum. tract. 4. cap. 6. num. 2.

4 Tandem de re licita promissio facienda est, nam illicitum promitti non potest, cum sit obligatio ab illo abstinendi. cap. fin. de pactis. & leg. generaliter. leg. si stipuler. ff. de verb. obligat. ideoque dicit Idor. 2. 2. q. 4. in malis promissis rescindi fidem, in turpi vero muta de re um. impia est promissio quae scelere adimpleretur. Si tamen promissum diuisibile sit, & ex parte illicitum, ex parte vero licitum, ut contingit in promisso prodigalitate conueniente, valida videtur promissio, qua parte abique prodigalitate mandari executioni potest, eo quod vtile per inutile vitari non debet iuxta regulam iuris. Vt aduertit Rebel. d. n. 7. Neque audiendus est Lessius. d. cap. 8. dub. 1. n. 10. afferens promissionem prodigam maxime cum iuramento firmatam obligatoriam esse posse. Non enim percipio quo casu obligationem inducere possit si prodiga sit, cum itante prodigalitate necessario inordinatio intercedat.

5 Porro haec datio fidei antequam promissario innotescat, imò antequam ab ipso acceptetur non foritur veram promissionem rationem, sed pollicitationem iuxta leg. 1. ff. de pollicitationibus. & leg. nulla de pollicitatione. Cod. de contrahenda stipulat. cap. scimus. 1. 2. q. 1. & notant Doctores ex communi. Anton. Gom. r. 2. variat. cap. 9. n. 1. Mol. tract. 2. disp. 2. 63. Lessius. lib. 2. cap. 18. dub. 2. n. 6. Sanch. lib. 7. disp. 7. 9. n. 19.

6 Stipulatio est promissio sub quadam praescripta forma verborum, nimirum praecedit creditoris interrogatio, & subsequitur debitoris responsio obligationem acceptans. ff. de verb. obligat. leg. 1. §. verbis. ff. de actionibus. & leg. regim. 1. tit. 11. par. 5. & tradunt omnes.

7 Donatio est liberalis propriorum bonorum alteri facta concessio. leg. 1. §. per totum. ff. de donat. & Cod. eodem tit. & leg. regia. 1. tit. 4. par. 5. Contingit dupliciter: re & verbo, seu traditione reali, aut verbali. Si enim donans Petro vestem simul eam ipsi tradit, est donatio realis & perfecta, quia illius dominium à te abdicat, & in ipsum transfertur: si ipsi absenti donas, quia in ipsum dominium non transfertur, est solum verbalis donatio, indigens acceptatione, vt realis fiat. Vide Gom. loco citato. Lessium. lib. 2. c. 18. dub. 2.

8 Ex dictis constat qualiter supra dicta differant: Nam promissio differt à pollicitatione per acceptationem promissarii, à stipulatione eo quod non habeat illam verborum formam stipulationi requisitam, à donatione tanquam à termino, & obiecto. Terminum namque & effectus promissionis est donatio non tam verbalis & imperfecta quam realis & perfecta, nam verbalis & imperfecta donatio cum dominium donati non transferat donatario parum à promissione distinguitur.

PUNCTVM II.

An promissio, seu donatio acceptatione promissarii, seu donatarii indigeat, vt firma sit, & obligationem inducat?

- 1 Acceptatio necessaria est, vt promissio, seu donatio firma sit.
- 2 Absque vlla culpa reuocari ante acceptationem potest.
- 3 Promissio, seu donatio ciuitati facta in aliquorum officiorum obsequium est reuocari non potest, acceptatione tamen indiget.
- 4 Dictum privilegium aliqui extendunt ad causam piam.
- 5 Non approbatur eorum sententia.
- 6 Neque item approbatur sententia afferens promissionem iuramento vallatam firmam esse ante acceptationem.
- 7 Adde esto fuerit appozita clausula constituti.
- 8 Deinde etiam si fiat infanti.

1 Non est dubium spectato iure communi, & antiquo regni Castellae promissionem, seu donationem ante acceptationem reuocari pro libito posse. Vt decidit leg. absentis. ff. de donat. l. g. ambigua. Cod. eodem tit. & leg. regia. 4. tit. 4. leg. 1. & seg. tit. 11. par. 5. Vt enim vnus alteri obligetur mutuo consensu necessarius est. leg. 1. ff. de pactis, & tradunt omnes. At spectato iure canonico & nouissimo regni Castellae esto aliqui Doctores censent non indigere promissionem, seu donationem acceptatione, sed quomodocumque constet validam, & firmam esse: atramen verus esse censuimus. tract. 28. de matrim. disp. 1. pun. 3. acceptationem esse necessarium, eo quod ignorante promissario, & forte inuito nec ius illi quæri potest, nec in promittente orti obligatio exequendi promissum, quod nescitur, an sit promissario gratum: ideoque lex 2. tit. 16. lib. 5. noua collect. moranter dixit: parciendo que alguno se quis obligar, quia non apparet se obligare velle quousque promissarius acceptet: obligatio namque intelligi non potest orta nisi mutuo duorum consensu, quorum

vnus se obliget, alter obligationem acceptet, iuxta leg. 1. ff. de pactis. Quod adeo verum dixi, vt etiam si pollicitatio sit iuramento firmata, nulla ex iuramento oriatur obligatio, quia iuramentum imbit conditionem, si promissarius acceptet. Atque ita tradit præter Doctores ibi relatos Anton. Gom. r. 2. cap. 4. n. 3. & cap. 9. numer. 1. & segg. Lessius. lib. 2. cap. 18. dubitat. 6. num. 34. Rebel. lib. 18. de obligat. iust. quæst. 1. numer. 3. innumeros referens Gutier. in reposit. cap. quamuis pactum de pactis. lib. 6. num. 55.

Ex his inferitur abique vlla culpa promittentem seu donantem promissum, seu donatum ante acceptationem reuocare posse, cum ex ea reuocatione nullum ius promissarii violetur, nullaque fides lædatur: vt colligitur ex leg. si pater in princ. ff. de manumissis. l. g. multum interest. 6. Cod. si quis alteri, vel sibi: & tradunt Anton. Gom. dicto cap. 4. n. 3. Greg. Lopez leg. 4. Gloss. 1. tit. 4. par. 5. Mol. lib. 4. de primogen. cap. 2. n. 58. molter Molina. tract. 2. disp. 2. 63. Iulius Clarus. §. donatio q. 12. Lessius, & Rebel. loc. cit.

Temperant autem hanc doctrinam Gloss. cap. scimus. verbo pollicitationem. 12. q. 1. Anton. Gomez. r. 2. cap. 4. n. 2. & 3. & cap. 9. n. 1. Couarruu. cap. quamuis pactum. 2. p. §. 4. n. 15. Mol. tract. 2. disp. 2. 63. vers. in princ. Layman. lib. 3. sum. sect. 5. tract. 4. cap. 1. n. 2. & alij ne procedat in promissione, seu donatione facta ciuitati in reparationem adificij terræ motu, incendio, aliaue ruina destructi iuxta leg. pactum. leg. propter incendium. leg. ob casum. ff. de pollicitationibus. vel ingratitude ob honorem à Republica acceptum, vel recipiendum, vel in opus à Republica inchoatum promouendum, vel denique municipibus traditum, esto à Republica acceptatum non sit. Vti constat ex supradictis legibus, & ex toto tit. de pollicitationibus.

Ceterum vt recte notauit Lessius d. lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 40. ex dictis legibus non colligitur supra dictam promissionem, & donationem ciuitati factam validam esse & firmam ante acceptationem, obligareque promittentem ad sui executionem, sed solum colligitur non posse nec expresse nec tacite reuocari. Vti indicat manifestè lex 3. ff. de pollicitationibus. Quia impedità reuocatione, & adueniente postmodum acceptatione ciuitatis, actio aduersus donantem, seu promittentem habetur. Ante acceptationem vero solum datur actio aduersus pollicitatorem, ne pollicitationem expresse, vel tacite reuocet.

Idem privilegium quod ciuitati concessum est scilicet promissionem, vel donationem ante acceptationem validam esse vel saltem reuocari non posse extendunt plures Doctores, Felin. cap. 1. de pactis n. 7. Ang. & Syluest. verbo pollicitatio. Mol. tractat. 2. disp. 2. 63. vers. Felin. Lessius. lib. 2. cap. 18. n. 38. & 40. ad causas pias, eo quod privilegia ciuitatibus concessa ad pias causas ob earum fauorem videantur extensa, leg. illud. & leg. vt inter. Cod. de sacrosanct. Eccles. Præterea pollicitatio iure naturali spectato valida est, obligatque pollicentem monere promissarium, velit ne promissum acceptare, ius autem civile hanc obligationem elidens locum habere non potest in Ecclesiis, & pias causas valida est, nec reuocari ante acceptationem potest.

Sed rectius hanc extensionem non admittunt Glossa. in leg. illud. Cod. de sacrosanct. Eccles. verbo alia causa. Iulius Clarus. lib. 4. de sentent. §. donatio q. 12. Couarruu. 1. var. resolut. cap. 14. n. 16. & in Rub. de testam. 3. p. n. 33. Mol. lib. 4. de primogen. cap. 2. n. 58. Anton. à Gama. decis. 381. n. 3. Rebel. de obligat. iustit. 2. p. lib. 18. q. 3. Sanch. lib. 4. moral. cap. 41. n. 7. & lib. 1. de matr. disp. 6. n. 16. & alij apud ipsos. Est ratio videtur conuincere, quia iure naturæ spectato vt dictum est pollicitatio, seu promissio ante acceptationem nullam etiam naturalem obligationem parit, cum non possit parere obligationem comparatione illius cui nescitur gratum esse futurum, ex alia parte nulla est lex nec civilis, nec canonica impediens reuocationem. Solum enim leges de donationibus ciuitati factis, & in speciale finem relatis loquuntur. Ergo nullum est fundamentum ex quo colligi possit promittentem, seu donantem impeditum esse ab hac reuocatione. Neque est verum quæcunque privilegia ciuitatibus concessa ad pias causas referenda fore, cum ob speciale finem, & in singulari euentu ciuitatibus concedantur.

Secundo temperant hanc doctrinam Couarruu. de pactis. 2. p. §. 4. n. 11. & 16. Anton. Gabriel. r. 3. commun. tit. de verb. obligat. conclus. 1. n. 69. Gutier. de iuram. 1. p. cap. 8. in fine. & cap. 3. 6. n. 4. & 5. Gregor. Lopez leg. 4. tit. 4. verbo no lo puede par. 5. Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 1. n. 3. & alij relati à Sanch. lib. 1. disp. 7. q. 3. n. 13. ne inquam procedat cum iuramentum promissioni accedit, maxime si esset iuramentum non reuocandi dictam promissionem. Nam cum prædictum iuramentum seruati possit abique interitu salutis æternæ seruandum est. cap. si vero. cap. cum contingat, & aliis de iureiurando. Ceterum neque hanc limitationem etiam cum promissio, vel donatio est ad piam causam admittendam cenleo, sicuti neque eam admittit Molin. lib. 4. de primogen. cap. 2. n. 65. Gutier. mutans sententiam in cap. quamuis pactum in 2. edit in princ. n. 55. Sanch. lib. 1. de matr. disp. 7. n. 24. & alij innumeri apud ipsos. Nam cum iuramentum sequatur naturam primordiale actus cui adhæret. leg. fin. Cod. de non numerat. pecunia. leg. fin. ff. qui satis dare cogantur. & leg. 27.